



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm**

**Vinitor, Gerlacus**

**Coloniae Agrippinae, 1656**

XVI. De officio Diaconi in Proceßionibus SS. Sacramenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9459**

Acolytha clausum, & cum Celebrans dicendo Vers. *Requiem aeternam, &c.* format signum crucis super tumulum, ipse à dextris eleuat simbriam Pluuiialis.

9. Dicto à Cantoribus *Requiescant in pace*, alijs ministris præcedentibus, à sinistris Celebrantis, ordine quo venerat, procedit ad Sacristiam.

## TITVLVS XVI.

### De officio Diaconi in Processionibus Sanctissimi Sacramenti.

i. **D**UM Diaconus intererit Processioni in qua SS. Sacramentum deportatur indutus erit Amictu Alba Cingulo Stola & Dalmatica albi coloris sine Manipulo, atque assistet Celebranti primò dum illud ponit in Monstrantiam, aut si ante hac in Monstrantia præparatum fuerit, & in Tabernaculo asseruetur dum Sacerdos deportaturus SS. Sacramentum ad dictum locum ubi SS. Sacramentum asseruari solet peruenerit, præmissa genuflexione aperit dictum locum Sacerdote, interim genuflectente ante Tabernaculum.

2. His præmissis vel si Sanctissimum Sacramentum iam in Altari patenter expositum sit omissis; Diaconus stans à dextris Celebrantis in plano ante infimum gradum Altaris, sine osculis, neque Celebrantis benedictionem petens ministrat Celebranti cochlear cum nauicula thuris, at imposito tertio à Celebrante thus in thuribulum, idem sine osculis Celebranti porrigit.

2. Dum verò SS. Sacramentum à Celebrante thurificatur à dextris Celebrantis genuflexus anteriorem simbriam pluuialis vtraq; manu eleuat,

*Carem. Eptf.  
lib. 2. c. 3 n. 1.  
Rit. Rom. tit.*

de Process. & se cum eo inclinat, statimque thuribulum ab SS. Sacram. eodem sine osculis recipit.

4. Mox oblongum accipiens velum circumponit scapulis Sacerdotis quod etiam firmare poterit Spinulis ne per viam Processionis decidat, vel si adsit Magister Cæremoniarum, idem præstabit.

5. Post hæc Diaconus accedit ad Altare & cum debitis reuerentijs accipiet Tabernaculum cum SS. Sacramento de Altari, & illud in manibus Sacerdotis genuflexi collocabit, cuius nec manum osculatur nec ullam tunc faciet reuerentiam, sed statim atque in eius manibus Sanctissimum Sacramentum reliquerit, genuflectet.

6. Deinde à dextris ipsius procedendo & anteriorem fimbriam pluuiæ eleuat, vel extremitatem vel tenet, & si contingat aliquos gradus ascendere aut descendere extremitates Albæ & vestes interiores, ipsius Sacerdotis à parte anteriori eleuabit.

7. Dum per viam Processionis Sacerdos aliquos Psalmos aut Hymnos submissa voce recitat ipse cum Subdiacono respondet.

8. Si per viam Processionis aliqua Altaria constructa reperiantur super quæ Sanctissimum Sacramentum reponendum, ipse à dextris Celebrantis quamprimum augustissimum Sacramentum dicto Altari impositum fuerit, ipsi incensum (vt supra n. 2. & 3. præscriptum) porrigit, atque si aliquid ibidem cantandum genuflexus cum Subdiacono librum tenebit, ex quo Sacerdos collectam cantet.

9. In fine Processionis postquam Sacerdos ad supremum Altaris gradum peruenerit, Diaconus à dextris cum debita reuerentia, & genuflexione ac sine osculo accipiet de manu ipsius Sacerdotis stantis Sanctissimum Sacramentum & illud super Altare collocabit.

10. Præ-

10. Præmissa deinde genuflexione, Sacerdoti rursus nauiculam thuris porriget, atque omnia circa impositionem thuris, traditionem, & receptionem cochlearis, atque thuribuli, nec non sustentationem libri dum cantatur collecta de SS. Sacramento præstabit vt supra n. 2. 3. & 8. præscriptum est.

11. Quando danda est benedictio, Celebrans solus accedit ad Altare, data autem benedictione Diaconus SS. Sacramentum intra tabernaculum ponit; vel in locum altiorem Altaris vt eo die colatur à populo, pro locorum consuetudine.

Gauantius  
part. 4. tit. 2.  
num. 8.

TITVLVS XVII.

De officio Subdiaconi in Missa solenni Sacerdote Celebrante.

1. **H**ora competenti Subdiaconus veniens ad Sacristiam perquirat Epistolam in libro suo, eam perlegit, & signaculo suo notat. Tum lauat & tergit manus, Calicem aperit, purificatorium superexpandens, super quod ponit Patenam cum hostia integra, ac benè terfa, deinde pallam, postea velum paruum, ac bursam de super, eumque cum libro Epistolarum ad Credentiam curat referri.

Carem Epif.  
lib. 1. c. 10.

2. Deinde postquam induerit Amictum, Albam, & Manipulum induit Tunicellam (quæ eiusdem formæ est cuius est Dalmatica qua vtitur Diaconus, nisi quod strictiores longioresque aliquantulum manicas habeat) nisi vti debeat Planeta, vel & sine hac & sine illa ministrandum sit, prout dictum est supra part. 1. Tit. 18 n. 6.

7.

P 3

3. Quis